



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

28. Novembris. Illud imprimis cogitandum: quid à nobis Deus in iudicio exiget? quamnam rerùm rationem reposcet? ut ad ejus iudicium, non ad nostrum sensum vitam componamus. S. Ign. vitæ l. 5. c. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

*Et mentes nostras non in oratione solum
ad cœlum attolleremus. S. Ignat. vitæ l. 5.*

c. 1.

Maxima pars delictorum tolleretur,
si peccaturis testis assisteret; quid si
iudex? Quos à peccando non retrahit me-
tus pœnæ, facilius coërcet verecundia;
Nullus locus tam est abditus, ubi Deus
non adsit.

Ut præsentia solis nunquam est sinè lu-
ce; sic ubi Deus, ibi cum eo lux menti als
labitur, quæ principis tenebrarum vires
extenuat, & fraudes detegit.

Situnc solum Dei meminimus, cum
oramus, quàm parcè cum illo, imò quàm
illiberaliter nobiscum agimus! Quantum
diei rapiunt occupationes aliæ & nullam
Deus; nullam animæ nostræ securitas me-
reatur?

Semper de nobis cogitat Deus, à cura
nostri adeò nunquam deficit, ut continuò
nobis benefaciat. Nullum venit momen-
tum ejus dono vacuum, & quàm rarò nos
ejus reciprocè recordamur!

28. Novembris.

*Illud imprimis cogitandum: quid à nobis
Deus*

Deus in iudicio exiget? quamnam rerum rationem reposcet? ut ad eius iudicium, non ad nostrum sensum vitam componamus. S. Ign. vitæ l. 5. c. 10.

O Curas hominum inanes! quomodo dives, doctus evadam? qui honores consequatur, & voluptates? cura est; & quam de his Deo redditurus sim rationem incuria est.

Pro his omnibus adducet te Deus in iudicium. Nulla actio tam modica, nulla cogitatio tam instantanea, nullum verbum tam exiguum, de quo non sit reddenda Deo ratio. Et quam rara, quam nulla de his cogitatio!

Scrutabitur illic Deus in lucernis Ierusalem civitatem sanctam, in qua forte plura reperiet splendentia, quam aurea, apparentia, quam vera; & quid de Jericho? quid de Sodoma sperandum? quale his iudicium?

Transit dies, effluunt anni, labitur ætas, manet tamen de his omnibus, imò de singulis momentis reddenda ratio. Nunc decet esse sollicitum. Sera illic facti pœnitentia.